

gente, postice late fusco-terminata. Pectus fuscum lateribus testaceo-variegatum. Venter obscure luridus, marginibus segmentorum fuscis (♀). Pedes lividi, femoribus fusco-nigro-punctatis, posticis inferne et marginibus punctis fusco-nigris magnis hic illic confluentibus, superne margine posteriore versus apicem nigro; tibiis spinulis nigris e punctis sat magnis fusco-nigris nascentibus, his punctis versus basin tibiaram posticarum geminatis, basi tibiaram nigro-fusca.

*Criocoris nigripes* FIEB., p. 85. Haec species verisimiliter solum mas *Cr. tarsalis* REUT. Specimen typicum FIEBERI (in Mus. Bud.) tamen nimis defectum. Tarsi pedum intermediorum basi rufescenti-flavi, posticorum nigri videntur. — Lin. 18, supra, *legitur*: Alsacia (Rauffach), D. REIBER, *deletur*. Specimen in Alsacia lectum et a D. Dr. REIBER in Cat. d. Hem. d'Als. p. 33 (*Plagiognathus*), enumeratum generis *Atractotomi* est species.

*Criocoris tarsalis* REUT., p. 85, 2 verisimiliter = *femina Criocoris nigripedis* FIEB. Vide REUT., Berl. Ent. Zeitschr. XXV, 1881, II, p. 183. — Lin. 6, infra, *adde*: Styria (Graz!), D. GATTERER.

*Marem* D. HORVATH ex Hungaria (Késmárk!) misit. *Mas* a femina differt: capite latitudine cum oculis paullo longiore; antennis articulis duobus primis nigris, crassis, secundo latitudine basali pronoti paullo longiore et primo vix quadruplo longiore, duobus ultimis ochraceis, tertio secundo circiter duplo brevior; corio margine externo subrecto, ejus margine apicali apiceque cunei anguste sordide albidis; membrana cum areolis infuscata, macula parva ad apicem cunei guttulaque ad apicem venae cubitalis albidis. Ceteris feminae simillimus. Long.  $2\frac{2}{3}$  mm.

Infra hanc speciem *adde*:

### *Criocoris longicornis* REUT.

*Diagn.*: Niger, nigro-pilosus et pilis albis faciliter divellendis vestitus, femorum apice tibiisque testaceis, his basi apiceque fuscis vel nigris, tarsis fuscis vel dimidio basali testaceo, margine apicali corii et cunei albido-flavis; membrana cum areolis et venis nigricante, vena connectente striaque ad apicem cunei albidis; antennarum articulo secundo longissimo. Long. ♂  $3\frac{1}{2}$  mm.

*Hab.* in Hungaria (Késmárk!), Halicia (Czerna-Hora), D. Dr. v. HORVATH.

*Descr.*: Forsitan mas hactenus ignotus *Cr. tibialis* FIEB., differt autem praecipue colore membranae. *Cr. crassicorni* HAHN similis, sed articulo secundo antennarum adhuc longiore, ultimis nigris, coloreque tibiaram divergens. Corpus nigrum, superne et inferne pilis facillime divellendis albis, superne nigro-pilosum. Caput nutans, a latere visum longe productum, altitudine sat multo longius, gula sat longa, obliqua, clypei basi infra lineam oculorum mediam posita, vertice obsolete sub-marginato oculis circiter duplo latiore. Rostrum piceum vel nigrum, fere apicem coxarum intermediarum attingens. Antennae totae nigrae, corporis longitudine, articulo primo apicem capitio attingente, secundo fortiter subaequaliter incrassato, primo haud tenuiore, longissimo, primo magis quam sextuplo longiore et cum illo simul sumto tibiis posticis longitudine